

Bibliothèque numérique

medic@

**Evrat, Jean-Alexis - candidat /
Guyenot, Nicolas - président. - De
lithotomia in alto apparatu**

1789.


***Paris : Ex-Typis Clousier, Regis
et Regii Chirurgiae Collegii,
Typographi, viâ Sorbonae,
Cote : ms 2346, n°27***

DE LITHOTOMIA
IN ALTO APPARATU
THESIS
ANATOMICO-CHIRURGICA

1789

IN TYPIS CAESARIS, REGIS & REGII CHIRURGICAE COLLEGII, TYPOGRAPHI,
J. J. SCHÖNBERGER
M. DCC. LXXXIX





DE LITHOTOMIA
IN ALTO APPARATU.
T H E S E S

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

PRO PUGNANDÆ

*DIE Sabbati sextâ mensis Junii, anno R. S. H. 1789, à
sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

PRO ACTU PUBLICO,

ET MAGISTERII LAUREA.



Ex-Typis CLOUSIER, Regis & Regii Chirurgiæ Collegii, Typographi,
viâ Sorbonæ.

M. DCC. LXXXIX.

DE LITHOTOMIA
IN ALTO APPARATU
THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ

PROFUGIANDA

Die 24ten Octobris 1789, anno R. S. H. 1789, a
Johann-Josepho Hoffmännem, Medico et Chirurgum.

PARS I.

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS
PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTRI LAUREA



Im Typogr. der Kaiserl. Königl. Chirurg. Collegii, Typograph.
v. A. Schöner.

M. DCC. LXXXIX.



DE LITHOTOMIA IN ALTO APPARATU.

VARIOS inter morbos quibus miserè cruciatur homo, lithiasis annumerandus est, pueros in teneris annis, viridem juventutem, ætatem decrepitam urget, nulli parcit sexui, ab artis incunabulis hanc cladem præcavere vel debellare variis medicamentis tentarunt in arte periti, de internorum & externorum inefficacitate ad calculum dissolvendum, experientiâ edocti veteres & nuperi, ad ejus è vesicâ urinariâ extractionem diversas excogitaverunt methodos, quas omnes singulatim exponere ad rem nostram non pertinet; de alto enim apparatu tantùm differere est animus, præmissâ partium descriptione Anatomicâ quantum nostrum requirit propositum.

A

EX ANATOMIA.

Viscus cavum, ovale, musculosum & membranaceum ad recipiendam & expellendam urinam dicatum, in infimâ pelvi partim extra peritonæum situm, vesicam urinariam vocant, cujus figura pro ætate magis minùsve provecta variat, non eadem est in virginibus ac in fœminis multi-paris, vacua lottiove distenta; in statu naturali & adulto, retro ossa pubis in utroque sexu, ante intestinum rectum, supra vesiculas seminales in masculis, ante uterum & supra vaginam in mulieribus locatur; quatuor ligamentis, textu cellulari & vasis partibus vicinis adhæret.

VESICA duas facies habet, anteriorem unam, posteriorem alteram, in partes laterales dividitur, in corpus seu partem mediam, in extremitatem superiorem quam vesicæ apicem appellamus, ex quo loco urachus oritur, in extremitatem inferiorem quam fundum dicimus, in quo antèrius spatium infundibuli in modum angustatum, cervicis nomine designatum, reperiatur.

PLURIMÆ sunt vesicæ membranæ; telâ cellulari antèriùs, superiùs tantùm & posteriùs usque ad ureterum insertiones, à peritonæo obteguntur; huic subjacet tunica muscularis saccum urinarium ex omni parte amplectens, fibris reticulatis diversi modè intricatis, obliquè, transversim, juxta longitudinem dispositis, composita, quæ ad vesicæ collum convergendo decurrunt, & quod hujus visceris sphincterem malè dixerunt, efformant; hanc sequitur membrana crassa, verè cellulosa quam nerveam

vocant ; interna seu villosa plurimis pertusa est vasorum ostiis, ad papillas nervosas contra lotii acrimoniam deffendendas, mucum abundantem eructantibus ; in hâc, plurima consideranda veniunt, nempè, 1°. columnæ fibrarum muscularium, inæquali deffensione figuratæ, quas inter diversæ magnitudinis plûs minûsve protensæ cavitates apparent ; 2°. levis eminentia triangularis, sensu exquisito donata, in statu morbofo benè conspicua, trigoni nomine à Lieutaud vocata, cujus anguli posteriores ureterum orificiis inferioribus respondent, anterior verò seu apex trianguli & evidentior vesicæ uvula dicitur cervicisque cavitati terminatur ; ex hâc cervice ortum ducit canalis decem pollicibus circiter obliquè longus in masculis, brevior, latior & rectus in feminis, uretra nuncupatur.

VASA quæ vesicam irrorant, ab hypogastricis veniunt.

NERVI à sacris & plexu hypogastrico oriuntur.

TEGUMENTA communia, muscutorum obliquorum, transversalium, rectorum, lineæ albæ partes infimæ, pyramidales musculi, arteriæ epigastricæ, ilco lumbaris, iliacæ anterioris divisiones, primarum parium lumbarium nervi aliqui, textus cellulosus, & pars peritonæi loca abdominis anteriora & inferiora exterius occupant.

È C H I R U R G I A.

CACULUM definimus corpus solidum in lapidis formam concretum, varias corporis partes, frequentius verò vesicam urinariam invadens, sive in eâ duntaxat incrementum, & in renibus semper rudimentum sumat, ut falsò asserunt auctores

prejudicatâ opinione decepti, sive in utroque viscere, ut vulgaris docet experientia, generari possit.

MOLE, figurâ, densitate, numero, situ mobilitate, &c. inter se differunt calculi vesicæ, ad hasque differentias maximè attendendum, tanquam prognosi & lithiasis curationi, potissimum inservientes.

CORPUS durum, aculeis multis sæpè donatum, in viscus sensibile inclusum, cruciatibus plus minùsve intensis necessariò torquet, undè calculi vesicæ existentia quibusdam præsentitur signis inter quæ sequentia recensentur.

PONDUS in infimâ pelvi molestum, genitalia titillantur & eriguntur, à peritonæo ad glandis extremitatem vagans pruritus ægrum vexat, eumque ad pudenda contrectanda & porrigenda ad molestiam illam sublevandam excitat; lotii ejectione difficilis est, nec summo sine conatu perfici potest, urina liberè fluens repentè suppressitur, sique resupinetur patiens denuò labitur urinæ rivus, acerrimus dolor, sub mictionis finem, si scabrosus præsertim sit calculus, tenesmus ac frequens desidendi cupiditas, ægrè quiescunt calculo laborantes, membra alternatim exagitant, per salebrosa loca æquitant ambulanteque dolenter, urina cruenta est aut turbida cum mucoso ac sabuloso sedimento quod ultimum signum, sed immeritò, ab Hypocrate credebatur pathognomonicum (1), digiti in podicem introductio, tumorem contrà naturalem & durum per vesicæ parietes, tangentis, non parum prodest.

(1) Quibuscumque in urina veluti arenæ subsidunt, vesica his calculo laborat: vid. Aphor. 19, Sect. 4.

Hæc omnia signa seorsim spectata calculi existentiae in vesicâ certitudinem physicam non pariunt, alia verò aliis adjuncta diagnosim ita adjuvant ut de lithiasi vix dubitare liceat, attamen ut indubitanter patefiat morbus, ad catheterisum confugiendum, fistulæque in omnes vesicæ partes diligenti circumductione, si strepitus collisione solidorum inter se productus ad manum vel ad aures feratur, tunc non amplius ambigendum, præsentiam calculi fidenter pronunties.

Si tamen hunc strepitum non percontescas, lithiasim non neges, ab omnique assensu te sustineas, plurima enim in errorem inducere valent, 1°. intra vesicæ membranas vel in cystocele non nunquam delitescunt calculi, 2°. muco maximè abundanti interdum obvolvuntur, 3°. in sacculis quandoquæ nidulantur, 4°. multi auctores vesicæ cavitatem sepro medio bipartitam viderunt, 5°. ureteres quo loco cystim ingrediuntur intestini capacitatem adæquare valent catheteremque admittere (1).

COMPERTO calculo, nulla verni vel autumnalis temporis ratione habitâ, ad curationem deveniendum, sed nimium credulus, ambiguae fidei, circulatoribus, lithontripticorum sive haustu, sive per uretræ canalem in vesicam injectorum, farraginem audacter jactantibus, attentas aures ne præbeas, nunquam enim promissa perfici, multiplici probatur experientiâ; unica tunc Chirurgia superest quæ patientem à tam gravibus tamque assiduis molestiis liberare possit, celebranda est lithotomia seu vesicæ sectio, quæ duobus instituitur modis, vel

(1) Bis in praxi hunc casum reperit meritò celeberrimus scholarum moderator Dominus Pelletan.

infra, vel supra pubem, de inferiori apparatu silebimus, altum duntaxat non qualem apud majores nostros factitatum est, sed qualem ut prosperè succedat exsequi debet, exponemus.

OMNIBUS ad ægrotantis statum præsentem & futurum atinentibus diligenter summâque operâ expensis, resupinus super lectum ad rem paratum, & ad lucem claram dispositum collocandus, blandis verbis ipsius animus roborandus, & ne motu intempestivè edito operationi noceat, clementer firmandus, his ritè preparatis, catheter fulcatus oleo inunctus in vesicam introducatur quem statim ministro tradit continendum operator, deinceps duobus digitis intensâ cute, involucra communia, tela cellulosa, vasorum aliquæ subdivisiones, pars uretræ membranæ usque ad prostatam, per octo linearum spatium, faventibus sulco & convexitate præcidantur; hâc incisione, catheteris sulco nudato, tutum constituit itinerarium ut per perinæ incisionem, fistula in suâ cavitate includens acum triangularem, ad arbitrium prominentem, exteriùsque mediante cauli crenâ instructo respondentem, in vesicæ cavitate intro-mittatur, statimque catheterem educat minister, fistulamque in vesicâ, unâ manu ipsius manubrium amplectando fixum & stabile efficiat; quibus peractis, Chirurgus ad ægri latus quod ipsi videtur commodissimum stet scalpelloque abdominis cutem in eo loco, qui inter pubem & umbilicum est medius, incidat, incisio fiat quatuor pollicibus pro ætate circiter longa, illam inter pyramidalium musculorum insertiones protendendo, deindè lineæ albæ partem inferiorem cautè fecet, his dissectis, oculis vel tactu nuda subjicitur vesica, tunc artis Magister

fistulam dextrâ manu amplectatur, illamque ad vesicæ parietem anteriorem & mediam prudenter impellat, duobus verò sinistræ manus digitis partem vesicæ prominentem, & cum eâ fistulæ rostrum apprehendere debet, atque imperare ut minister acum triquetram, hujus caulem pollice propellendo, extrudat, intra operantis digitos vesicæ parietes tanfos faciliè pungentem; absolutâ hâc punctione, iisdem digitis, acus triquetra arripiatur, & alterâ manu scalpellum regente, in eodem loco exiguum fiat foramen ut index digitus in vesicam intrudi possit, uniusque in modum incurvari ad eam sustollendam, peritonæum intestinaque protegenda, deindè è fistulâ dictâ expediatur cystis, scalprique incisorii, dorsum pectori, aciem verò pubi semper obverrendo, perficiatur sectio corporis vesicæ ad ejus capacitatem & molem calculi accomodata, vesicâ satis hiante, per incisionis labia duo digiti vel forceps calcularia intromittantur, corpus extraneum ut decet perquirendum, gradatim nulloque concussu eximendum, quo perfecto, per uretræ aperturam præparatoriam, fistula recta è gummi elastico, pro ægrotantis magnitudine longa & lata, in vesicam immittatur ut variis corporibus in hâc existentibus facilis per perinæum pandatur via, abdominis vulnus simplici modo deligandum, in illius angulum inferiorem ad liberum materiæ nocivæ, si qua adsit, exitum, setaceum collocandum; in fœminis sectio uretræ non requiritur, cæterùm eadem operatio celebrari debet.

Ex dictis nemo non videt quantum ad calculosorum salutem integramque eorum sanitatem conferat, hic curandi modus, nempe, 1°. vesicæ cervix glandulaque prostatica, per incisionem uretræ simplicem, & in extrahendo calculo duro, angu-

loso, spinosove nullam vim patiuntur; 2°. partes generationi inservientes semper integræ remanent; 3°. hæmorrhagia non pertimescenda; 4°. internam vesicæ superficiem explorare, eamque ab omnibus lapidibus cujuscumque molis & speciei expurgare, facilitè valet operator. 5°. cannula è gummi elastico non vexat & lotia foràs ritè & liberè educit; 6°. calculi in sacculis nidulantes vel vesicæ adhærentes absque imminente vitæ periculo extrahi poterunt. Quæ quidem & tanta commoda nullis aliis tribuenda methodis, undè nobis concludere datur, nunc rejiciendas esse variorum auctorum contra sectionem emendatam hypogastricam, criminationes tanquam injustas, eamque propter simplicitatem, facilitatem & utilitatem in quibusdam casibus exclusoriis, esse admittendam,

Hæc Theses, Deo juvante, & præside M. NICOLAO GUYENOT, Artium & Chirurgiæ Magistro, antiquo Collegii præposito, Academiæ Regiæ Chirurgiæ Consiliario, nec non Fratris Regis, MONSIEUR, Chirurgo; tueri conabitur JOANNES-ALEXIS EVRAT, Divionensis, Artium liberalium Magister, nuper in Scholâ practicâ Chirurgiæ alumnus; Theses auctor.

F I N I S.